HISTORIA MORBI,

Quo nuper mortuus eſt

THOMAS HURDMAN.

Pret. 6*d*.

HISTORIA MORBI,

Quo nuper Mortuus est

Thomas Hurdman,

Londinensis:

CONSCRIPTA

à GULIELMO GRÆME.



LONDINI:

Apud T. WARNER, ad Insigne Æthiopis, in Pater-noster-Row. M.DCC.XXX.



HISTORIA MORBI,

Quo nuper mortuus eſt

THOMAS HURDMAN.



Ihil magis optandum eſt in totius humani generis commodum, quam ut talem haberet perfectionem, nobilis ars medica, unde certe ſtatuere poterint artis profeſſores, de natura omnium morborum quibus obnoxios inveniunt ægrotantes; atque remediorum his convenientium: tunc equidem facillimum eſſet judicare, an morbus ſanabilis, an vero ultra artis limites poſitus. Inſanabiles itaque non cerneremus inepta medicatione exaſperatos; neque alios, vel neglectos, vel perverſa me-

dendi methodo, periculosos & sæpe lethales redditos; dum naturam à tramite quem sponte secutura fuisset, flectere & detorquere conatur. *Naturæ ministri non vero domini sunt medici.* Dolendum est tamen quam maxime, medendi artem, nullam talem attigisse perfectionem; multa etenim sunt quotidie in morbis occurrentia, unde dubij hærere coguntur peritissimi, & in praxi versatissimi viri. Boni revera est, & cordati medici, ulteriorem artis progressum totis moliri viribus; neque aliud est quod huic negotio magis conduceret, quam si omnes medicinam facientes, sedulo animum intenderent, ad accuratam observationem illorum omnium, quæ in morbis, vel lædere, vel juvare vident, hoc etenim pacto, neque tenaciter nimis Via, ab experientia reprobata, insisterent, quocunque demum freti ratiocinio; nec remedia simpliciora, sed magis salutaria contemptuose negligerent: hoc modo crevit apud veteres saluberrima ars, utinam medicos recentiores vellent illam, omnium optimam medicinæ partem quæ historias tradit morborum, novis suis & fidis observationibus ditare.

Mœstissimus aggredior descriptionem morbi, quo nuper extinctus est, Vir optimus & mihi amicissimus; morbi sane, quantum mihi perspectæ sunt leges medicæ, unde hæcce nosci possunt, ex sua natura minime lethalis.

THOMAS

THOMAS HURDMAN agens annum ætatis trigesimum secundum, staturæ mediocris, corpus habuit agile satis, licet habitus paulo plenioris; solida enim paululum laxiora, quodammodo ad obesitatem disponebant, licet non admodum; color faciei & reliqui corporis bonus; oculi satis vividi; morbis non admodum obnoxius vixit, ante aliquot annos variolis laboravit, unde optime evasit; neque aliquid reperiundum fuit, quod relliquias, ullius morbi prægressi, ullibi latentes notabat. Negotiis semper multum implicitus, subinde in vini fortioris compotationem, licet invitus alliciebatur; appetitus illi parcior erat, sed digestio satis bona; animi fuit hilaris, & subinde exercitiis saltatione, &c. utebatur, & aliquando paulo forte immoderatius, ad motus quippe hosce exercendos, agilis, aptissimusque fuit.

Die Octobris decimo-quinto, sanitate solita fruentem, negotia quædam appellabant ad vicum quendam, ad fluminis ripam ulteriorem positum; ab urbe quædam milliaria distantem; ubi forte accidit vinum liberius bibere, postea scapham ingressus, & aeri frigidissimo nocturno supra aquam expositus, domum circa horam primam matutinam rediit, & petivit lectum. Tota ista nocte, & sequente die, mensis decimo-sexto, morbi primo, se ægrum & febricitantem sensit, de dolore capitis & spinæ

dorsi inferioris conquerebatur, multumque sitiebat; liquore possetico vel potu aliquo tenuiore usus est, nocte sequente in sudorem incidit, & postridie se satis bene credebat, ita ut ad solita negotia facienda in publicum prodiit: sub noctem vero rediere dolores & febris, sudore tamen aliquatenus prodeunte, iterum paululum liberatus fuit. Hæc mihi narrabantur. Die jam mensis decimo-octavo circa vesperam, pro prima vice ex quo ægrotabat eum videbam; pulsus fuit velocior, ordinatus vero satis; calor corporis, sani gradum excedens; sitis magna; de dolore ad loca dicta querebatur, licet jam mitiore. Ego qui fælix adeo non sum ut de genio febris cujuscunque primo intuitu judicem, nihil ista nocte præscripsi, nisi ut biberet copiose ex decocto hordei vel liquore possetico tenuissimo.

Die mensis decimo-nono, morbi vero quarto, ægrum mane iterum invisebam; noctem sat placidam habuit; pulsus jam arteriarum multo tardior; vix ullus dolor; sitis minor; febris fere nulla aderat; per noctem sudavit; lingua tamen arida fuit, & sordibus flavescentibus obsita; in vomitum quoque proclivis per noctem fuisset; & sapor in ore erat amarus; color oculorum flavescens; urina quam ante aliquot horas eminxit, & meo jussu asservabant, crassa fuit, & instar, (ut loquitur Hippocrates) jumentorum.

Siste

Sifte jam lector medice, quicunque es, qui Græcorum doctrina, & vera medica imbutus, qui interiora corporis fcrutatus, de natura morborum recte judicare potes. Vos reliqui qui in mortalium perniciem, artem quam non didiciftis, exercetis, procul efte profani: vos & veftra non moror. Obnixe à Pœoniæ artis magiftris rogo, ut mihi dicerent, quid de morbo, quem præ oculis ponere conatus fum, fentiendum fuit? fententiam meam candide exponam. Quoad diagnofin qualis eft febris? heri febricitabat æger, hodie vix; heri de dolore conquerebatur, hodie non ita; fudore prodeunte fymptomata mitigata funt: An igitur eft febris intermittens? fane verifimile. Sed vix notabile frigus, vel tremor, paroxyfmum antecedebat, quod in intermittentibus folenne eft; neque jam apyrexia plena obtinet, febris enim quodammodo manet; neque fedimentum in urina reperitur, ægrum a paroxyfmo liberum notans. An igitur eft febris remittens, cum remiffionibus, & acerbationibus iterum, comitata; & ad genium intermittentium accedens? res equidem minime improbabilis videtur. Obfervavit vero olim fagaciffimus Sydenhamus, quod in principio febrium intermittentium, quæ autumno contingunt, haud ita in proclivi effe typum fub primis invafionis diebus rite diftinguere, quandoquidem febre continua adfcita, primum adoriuntur, neque facile eft aliquandiu nifi diligenter

diligenter adverteris animum, quicquam aliud præter aliqualem morbi remiſſionem deprehendere, quæ tamen paulatim in perfectam deſinit intermiſſionem, & typum anni tempeſtati apte reſpondentem. Potius itaque forte expectanda eſt febris intermittens; modo vero ſit diagnoſis in dubio. Quæcunque vero ſit res hæcce, quo ſtatu ſunt corporis fluida? nimis ſane confuſa & mota, ut ex urina craſſiore, & oculorum colore, ubi vaſa tenuiſſima ſtatum contenti liquoris optime monſtrant, clarum eſt; neque hinc improbabile videtur partes bilis ſecretioni addictas, à fluido lentiore quodammodo obſtrui. Quoad prognoſin, Quo loco ponitur æger? ſi intermittens eſt febris, erit tertiana, igitur non valde periculoſa, præſertim quia initia paroxyſmorum non vehementia videntur. Si continua remittens; jam agitur dies quartus, ſymptomata ſtatim mitiſſima ſunt, functione nulla multum læſa; non vehementer igitur procedit ad ἀκμὴν morbus; vitalia ſunt illæſa. An magnum itaque imminet periculum? revera non.

Quid jam faciendum fuit? an vena ſecanda erat? Equidem monuit Sydenhamus intermittentium autumnalium curationem, non ſine ingenti diſcrimine per phlebotomiam tentari, quod & frequenti nimis obſervatione ſe didiciſſe aſſerit; inde etenim vel diutinus morbi cruciatus, vel mors ſequitur.

Pone jam morbum fuiſſe remittentem, an venæ ſectio utilis? Dum diagnoſis dubia manet, nihil temere agendum: nihil grave urget, vires naturæ non nimis minuendæ ſunt, ni coctioni & criſi impares fiant, & febris hæcce lente procedit; iterum genius hujus morbi videtur criſin moliri per ſudores, ſed criſin non eſſe turbandam, ſæpius ingeminavit Hippocrates; & licet remittens erit, certe multum participat de intermittentium natura; ergo niſi multum fallor damnoſa fuiſſet venæ ſectio.

An per veſicatoria tentanda eſt curatio? Olim notavit Hippocrates Febres Hyemales ſæpe tranſire in morbos acutos περι παθων, ſect. 12. notavit quoque Sydenhamus, calefacientium uſu, intermittentes in continuas mutari. Rogarem vero medicos quibus arridet talis practicandi methodus, an aliquid noverint quod magis calefacit, quam Cantharidum applicatio? Attendant quæſo eis quæ ægris accidunt, quando ſtranguria ab inflammatione partium, ſecernendæ urinæ dicatarum laborant, præterquam dolore cruciante in applicationis loco, & tunc candide reſpondeant. Quatenus attinet evacuationem à veſicatoriis factam, quid boni expectandum à pauxillo ſanguinis ſeri detracto, ubi tota ſanguinis maſſa morboſa forte eſt, & ubi optima natura alias vias ad ejus partes vitioſas eliminandas monſtrat?

monſtrat? Verendum eſt equidem ni reliqua maſſa craſſior maneat, & motu nimio ſemel impreſſo circumeunti ſanguini, omnino incertum eſt ubinam forte, pellendæ ſunt partes lentiores; unde ſane ſumma pericula. Qui chemicam callent doctrinam, ſciant quoque naturam alcalicam Cantharidum, putredinem febricitantis ſanguinis accelerare. Sed theoriæ haud multum faciens, velim ut mihi dicerent medici, qui in omni fere febris ſpecie Cantharides adhibent, qua auctoritate ſuffulti hoc faciunt? Apud artis principes nihil hujuſmodi reperitur; neque medicos hodiernos in reliquis Europæ regionibus conſentientes habent; ſi quiſque experientiam propriam forte jactitabit, meminerit effatum *Divini ſenis*, experimentum eſt periculoſum & judicium difficile. Sed hæc obiter: Ut ad rem redeam, certe turbæ neceſſario concitandæ, poſt veſicatorium appoſitum, in præſenti caſu mihi omnino uſum cantharidum prohibere videbantur.

An per cardiaca fortiora res tentanda fuit? ſane ſi febris erat intermittens, tota reclamat experientia: ſi non, tunc minime videbatur neceſſarium vires febris augere, calidorum ingeſtione, corpori juvenili, & vini uſu nimio inter alias morbi cauſas ægrotanti; hujuſmodi ægris domi naſcuntur cardiaca, & quæ foris adduntur, aut fruſtanea ſunt aut etiam damnoſa, inquit ſapientiſſimus & nunquam

ſatis

ſatis laudandus Sydenhamus. Verum eſt talia ſudores provocare, quod & genio morbi præſentis congruere videtur; norunt tamen medici rem longe aliam eſſe, ſudorem ſtimulantium ope exprimere, unde ſemper incraſſatur maſſa ſanguinea, quam ſudorem lente promovere, fluida cum novis liquidis ſupplendo, quæ materiem ſudoribus præbent; medicamento leniter ſolvente forte addito: in hocce caſu, præmonſtrànte natura criſim promovere poterimus, in altero vero criſim ſolummodo turbare, & vires morbi augere, *judicatoria enim non judicantia, partim lethalia ſunt, partim difficilis judicationis*; Hipp. Epidem. B. Abſint igitur Cardiaca dicta. Quid igitur agendum eſt? Ego horum omnium bene monitus, præſcripſi tantummodo ut æger abſtineret a cibo craſſiore; ut pro victu uteretur jure gallinaceo tenuiſſimo, vel panatella; ut pergeret in uſu potus ſupradicti ex decocto præſertim hordei, & circa horam veſpertinam ſextam vel ſeptimam emeticum * caperet leniorem, ad primas vias alluendas, ſordibus, uti dictum, obſitas; & hauſtum paregoricum † ad

* ℞ Rad. Ipecacuan. recens pulveriſat. ʒſs.
Tartar. emetic. gran. i. M.

† ℞ Aq. Lactis alexiter. ℥iſs.
Cinamom. ten. ℥ſs.
Pulv. e chelis cancr. comp. ℈ i.
Laud. liquid. gutt. xv.
Syr. Caryophillor. ʒiii. M.
Capiat h. ſ.

ad ſedandos motus ab emetico concitandos exhibere curavi. Neque aliud quidpiam die iſto neceſſarium duxi. Emeticum ſumpſit, & ſæpius vomuit, bibendo affatim cyathos quoſdam infuſi tenuioris thææ viridis, poſtea paregoricum hauſit. Nox vero quæ ſequebatur, multo magis moleſta fuit quam præcedens, quod equidem eventurum credebam, ſi febris e genere tertianarum eſſet, cujus rei ſuſpicio inſignis mihi jam orta fuerat.

Die ſequente, menſis viceſimo, morbi vero quinto, mane ægrum iterum adibam, ſudantem reperii conquerebatur multum de moleſtia noctis peractæ; aiebat tamen ſe non adeo doloribus cruciatum fuiſſe ac ante biduum; calorem vero, ac ſitim, ante ſudoris eruptionem fuiſſe maxime gravem. Rogatus ſi quid frigoris anteiſſet calorem? Reſpondit, non. Pulſus fuit plenus, fortis ſatis, & ordinatus, licet velocior, non vacillans robore, nec tempore quo repetebantur ictus; reſpiratio optima: dixit tamen, ſe dolorem quendam, ſed non vehementem, ſub coſtis nothis ſiniſtri lateris, dum calor magnus fuit, ſenſiſſe qui jam abivit. Color flaveſcens oculorum manebat; urina quam media nocte eminxit, rubra & ſaturata fuit, nullum deponens ſedimentum; quam verſus auroram reddebat, habuit nebulam in medio

ſuſpenſam,

ſuſpenſam, nihil tamen ſedimenti ad fundum; dolor capitis & dorſi, ſed levior, adhuc manebat. Quid jam ſtatuendum de morbi natura? an aliquid mutandum in ſententia quam heri concepimus? equidem non multum. Acerbatio quippe tempore expectato accidit; jam omnia mitiora iterum ſunt, licet febris quodammodo manet. Erit itaque certiſſime vel tertiana, vel remittens ad tertianarum naturam quam maxime accedens. Sed jam urina incipit nebulas habere, quæ heri maxime turbata fuit nihil deponens; ſpes igitur imminet, ſedimenti in urina brevi futuri apyrexiam notantis; habebimus itaque vel tertianam, vel febrem penitus ſolutam, unde prognoſis melior. Quid modo medice agendum? præſcripſi ut æger, qui jam multum ſudavit, maneret lecto affixus donec deſineret ſudor prodire, & biberet liquores tenues ante dictos, tepidos equidem, non vero adeo calidos, ut ſudorem provocarent nimis; quo abeunte, e lecto ſurgere ſuaſi. Quoad victum, jus tenue e carne pulli cum pauxillo panis permiſi; & pro potu, idem decoctum hordei, cui addere ſubinde juſſi cochleare unum aut alterum Vini Rhenani, nihil fælicius diluere bene gnarus; & ægro ſummopere flagitante hauſtum cereviſiæ tenuis tepefactæ, cum pane toſto, indulſi, unde ſe multum levatum eſſe dixit. Ad lentorem fluidorum diſſolvendum, præſcripſi

C 2 hauſtus

* haustum e sale absynthii & succo limonum, sexta quaque hora sumendum; hæc duo enim commista mutantur in salem instar polychresti, qui vix nocenti acrimonia præditus, optime incidit, ut apud practicos est in confesso. Sed quia dum moventia adhibentur, liquidorum ad diluendum semper opus est, ne fluida partibus liquidissimis orbentur, præter potum dictum, † haustum emulsionis omni bihorio sumendum jussi. Hæc facta sunt. Me vero absente, Pharmacopœius quo utebatur æger, nescio quid somnians de qualitate refrigerante præscriptorum, præsertim haustus salini; & miratus nihil fortius præscribi, suasit ut æger biberet quædam pocula vini, & sex vel septem bibit, unde se plus febricitare sensit. Sub vesperam me iterum accersitum mittit. Inveni paroxysmum vel exacerbationem ultimam, non penitus finitam; febris quippe durabat,

℞ Suc. Limon. recens express. ʒvi.
Sal. Absynthii ʒss.
Aq. Cerasor. nigr. ℥iss.
Cinamom. ten. ℥ss.
Sach. alb. ʒiii. M.
Capiat sexta quaque hora.

† ℞ Sem. 4 frigid. maj. ana ʒii.
Papav. alb. ʒi.
Amygd. dulc. excorticat. n. xii.
Aq. decocti hordei ℔ii.
F. s. a. emulsio addendo
Aq. Cinamom. ten. ℥iss.
Syr. Balsamic. Diacod. ana ʒvi.
M. Capiat ℥iii. omni bihorio.

durabat, non vehemens tamen, a potu vini, ut probabile videbatur, diutius protracta. Pharmacopœius multa mihi dicebat, de malignitate morbi, de neceſſitate Veſicantium, de Alexipharmacis & ſimilibus; ego vero contra proprium judicium nihil præſcribere volui. Per aliquot dies alvum non depoſuit æger, itaque rogatus fui, de clyſterio adhibendo, huic ultimo aſſenſum dedi; ſed enema * leniſſimum præſcripſi, ad fæces ſolummodo extrahendas ſine metu turbæ ulterius: Sed antequam præparatum fuit, æger alvum depoſuit, itaque meo juſſu non injicebatur. Ægro in lecto jacere ſuaſi, largius bibere e decocto, & emulſione, a vino & omni liquore ſpirituoſo abſtinere, & in uſu hauſtus præſcripti ſexta quaque hora pergere; & monui noctem ſequentem probabiliter ſat placide tranſituram, quia alternis noctibus hoc evenire jam obſervavi.

Die ſequente, menſis viceſimo primo, morbi ſexto, omnia in melius mutata inveni; æger plenius per noctem ſudavit; febris jam omnino aberat; nullus prorſus dolor; pulſus ſedatus, equalis, ſanus equidem; ſedimentum in urina optimum, febrem penitus pro iſta vice judicatam demonſtrans; calor

* ℞ Decocti communis pro Clyſterib. ℥viii. addendo in decocto ſem. Coriandri contuſ. ℥ſs. in Colatura diſſolve Elect. lenitiv. ʒvi. Ol. Chamomel. ℥i. M.

calor totius corporis mitis, æqualis; respiratio bona; æger hilaris, & ad omnia aptus, nisi quod aliqualem lassitudinis sensum, levissimum tamen percipiebat; & unum erat quod observare potui, colorem scilt. oculorum non penitus ad naturalem rediisse, licet revera flavedo minime insignis fuit; ex duobus hisce ultimis, ut ex genio morbi antea perspecto, conclusi morbum alios adhuc paroxysmos habiturum, de quo ægrum & adstantes monui; licet Pharmacopœius qui tam multa heri de morbi maligna natura garriebat, jam sententiam suam omnibus protulit, ægrotum jam penitus a morbo liberatum esse, & nullum esse metum recidivæ: aiebat tamen se multum mirari naturæ bonitatem, quæ tam salutarium excitasset sudorem, quando omnia præscripta huic negotio contraria fuerunt. Si bene de effectis medicamentorum pronunciavit ille vir, judicet lector medicus. Condonent me quæso omnes, quod ineptias hasce Pharmacopolæ narrare moratus sum; ex se equidem ineptissimæ sunt, sed tragœdiam funestissimam, brevi lusuræ. Sed ad rem redire: Qualis jam est morbus? tertiana revera exquisita. Alternis diebus enim ab initio usque semper intendebatur; antea tamen nunquam penitus intermisit, sed omnes practici norunt, hoc ut plurimum obtinere in initio tertianarum, præsertim autumnalium, vel hyemalium;

 jam

jam perfecta obtinet apyrexia. An redibit febris? certe; tertiana enim non tam cito sponte sua finitur. An morbus est periculosus? perpendito, quæso lector benevole, medicinæ leges & dicito.

Respiratio bona est, & facilis; pulsus arteriarum tardus, constans & quoad robur, & ictuum numeros; calor moderatus, & undique æquabiliter diffusus: Quomodo ergo se habent partes, functionibus vitalibus dicatæ? certe quam optime tota clamat medicina. Sitis jam abest; sapor amarus ex ore fere evanuit; lingua humida, mollis est; æger appetebat cibum, tenuis ille qui concessus fuit nullam in ventriculo molestiam concitabat; excretiones optimæ, sudor quippe omnino levans, & urina ejusmodi, ac pro genio morbi optima. Qualis ergo conditio, functionum naturalium? bona equidem. Sensus omnes interni, externique prorsus illæsi sunt; animi affectus sedati; omnium musculorum motus sat facilis, nisi quod levis fatigationis sensus manet. Quid igitur reperitur functiones animales lædens? revera non multum. Sed recidiva imminet morbi, unde iterum turbandæ functiones; sed an morbi mali moris? Dies morbi jam agitur sextus, functiones omnes bonæ sunt, vehementius itaque non procedit, sed mitissimus est; febris quæ antehac, perpetuo, licet haud æquo vigore, tenebat,

tenebat, jam ad plenam perducta eſt apyrexiam; urina, quæ in initio maxime fuit turbata, ante biduum ſedimentum promittebat, jam ſedimentum optimum habet: nonne igitur febris jam incipit regularem induere faciem tertianæ? Suntne fluida totius corporis in meliore quam antea ſtatu? unde itaque metuendum eſt quid periculi? nullibi revera niſi ex rebus male geſtis: qui aliter ſentit, monſtret quæſo, quo nititur fundamento ſua ſententia. Lenia, quæ jam præſcripta fuerant, & juvare viſa: non multum itaque in hiſce immutandum duxi neceſſarium; in eiſdem pergere juſſi, adjuncto * decocto emolliente & leniſſime attenuante, ex inde ſperans, paroxyſmum ſequentem leviorem futurum; & ſi quid forte lateret obſtructi, circa hepar, vel partes in illud ſanguinem fundentes, (circa locum ſplenis etenim dolor in initio tenebat, ut antea dictum, & oculi adhuc paululum flaveſcebant) id ſolutum iturum.

Nocte ſequente, maturius paululum quam antea ſolitus eſt ingruere paroxyſmus, caleſcere multum incipiebat æger, vix ullo frigore prægreſſo, quo tempore dolor intolerabilis fuit, ad ſpinæ dorſi inferiora, capite

* ℞ Fol. Althææ, Ling. cervin. Capill. Vener. ana m.ſs. Rad. Althææ, Sarſæ-parillæ, ana ℥ſs. Glycyrrh. ʒiii. Lign. Santal. citrin. rubr. ana ʒii. M. coq. in Aq. fontan. ℔iii. ad colaturæ ℔ii. capiat ℥iii. omni bihorio.

capite quoque dolore multum affecto; sitis magna; urina tunc emissa, rubra, saturata; post aliquot horas in sudorem incidit, unde leniebantur dolores. Mane me quæsitum mittit; inveni sudantem, toto corpore, sudore æquabiliter madido; pulsus velox, sed plenus & ordinatus; dolores uti aiebat multo mitiores quam ante sudoris eruptionem fuissent, sed adhuc manentes; a dolore & pervigilio quoque confusio quædam orta videbatur in cerebro, sed levissima; omnia enim congrue & apposite dicebat, licet judicio, haud adeo ac in sanitate firmo; urina nunc iterum nebulam habuit. Quid jam rei est? Paroxysmus tempore præviso, licet paulo maturius, advenit; calor etiam sine frigore sensibili prægresso invasit; dolores quam antea vehementiores; unde hæc omnia? an ex præscriptis? Ego qui veritatis indagationem, omni arti qua fama quærenda est antepono, sic puto; forte usus haustus salini, modo dicto, qui est maxime fundens, nimis movebat sanguinis massam, unde calorem excitatum ante tempus invasionis, frigus præcavisse; & materiem morbi nimis celeriter in musculorum & ligamentorum, circa lumbos, involucra, & in cranii membranas pulsam fuisse. Certissime diluentia optima largius præscribebantur ad tale præcavendum incommodum; sed ex juvantibus & lædentibus optime discit medicus. Animo

itaque decrevi, ſalem abſynthii vel omnino auferre, vel ſaltem multo minuere illius doſin, & cum lene attenuantibus procedere. Sed an multa in pejus adhuc mutantur? revera non. Omnis præſentis morbi paroxyſmus prægreſſus, durabat ad minimum per diem integrum, & omnes niſi proxime prægreſſus longe plus, præſens vero paroxyſmus nondum per diei dimidium duravit, & fere abivit; omnia ad naturalem redire ſtatum iterum incipiunt: An facies morbi itaque eſt valde periculoſa? minime. Sed jam lector erudite & candide, ad alium enim non ſcribo, adverte oculos, & paratus ſis ſcænam longe diverſam intueri; ſed antequam procedas, mente volvito, & ſerio perpendito, an ex eis quæ legiſti, in meam cadas ſententiam, qui calidorum uſum inhibere ſtatui, nec vias naturæ ullo modo turbare? an in ſententiam diverſam, quæ illorum uſui, magna ex parte rem committeret; & evacuationes varias tentaret? Sane ex dictis ſpero, omnibus in promptu eſſe, dicere quidnam hic dictitat ars medica.

Dies jam agebatur morbi ſeptimus, menſis viceſimus ſecundus, ægrum uti dictum eſt mane vocatus inviſebam, quem in ſtatu modo deſcripto, reperiebam. Sed ante meum adventum, aderat iterum Pharmacopœus, qui ſeipſum quam maxime idoneum ad

ad artem exercendam medicam exiſtimat, & ægro longa conſuetudine junctus fuerat; ille multum increpans, nullum potentius uti aiebat remedium fuiſſe tentatum, ſuaſit alium vocare medicum, cujus ſorte methodus cum ſua magis congrueret ſententia. Æger ſpe allicitus ſubitaneæ ſanationis, idem voluit. *Eheu quam vanæ & fallaces ſunt mortalium ſpes!* Circa meridiem, me adventum ejus expectante, ut una conſuleremus, ingreſſus eſt medicus quidem ſenior, ſed nuperrime tantum, in candidatorum numerum qui ſocii locum in collegio regio medicorum Londini ambiunt, admiſſus. Pulſum tetigit ægri, inſpexit linguam, poſt quæſtionem unam aut alteram ſane pauciſſimas rogatas, in proximum ingreſſus eſt cubiculum; uti putabam ad me de ſtatu morbi rogandum. Res longe aliter evenit; primum omnium chartam petiit, ad formulas remediorum deſcribendas, & ſcribere incipit: ſcribendi officium mihi attinebat, ſi bene novi regulas de quibus inter ſe conveniunt medici, de nugis vero hujuſmodi nunquam diſputandum eſſe exiſtimo. Medicum tunc temporis monui, genium hujuſce febris eſſe ſerio perpendendum, & quod e genere intermittentium fuit; nihil mei faciens conſilii, reſpondit, in poſterum nos hoc videbimus; & ſcribere pergit; aiens mittendus eſt ſanguis, vereor dixi ne inde morbus in longum

 excurrat

excurrat tempus, ſi nihil gravius acciderit: reſpondit tanto citius curabitur. An hæcce eſt methodus qua inveſtigari debet morborum natura? ſicne inter ſe conſulere debent medici ubi hominis vita ab illorum arbitrio pendet? Ego bene cernens illum nihil mihi conceſſurum, & argumentandi vim in pari caſu ſæpe incaſſim expertus, & jurgia non amans, tacui. Alter formulas * quas hic habetis ſcripſit, meumque appoſuit nomen, chartula ne vel ad inſpiciendam mihi data. Poſt iſtius medici diſceſſum, ægrum, uxorem ejus, & quoſdam ex amicis certiores fæci, omnia jam contra meam ſententiam agi; me in poſterum conſilium nullum daturum eſſe, licet amicitia ductus, ægrum iterum

* Mittatur Sang. e Brachio ad ℥x. Applicetur Veſicatorium Nuchæ.

℞ Pulv. e chelis cancr. comp. ℈i.
Lap. Contrayerv. ℈ſs.
Confect. Alkerm. ſ. q. ſ.

M. f. Bolus ſexta quaque hora ſumendus, ſuperbibendo Julapii ſequentis cochlear. iv.

℞ Aq. Ceraſor. nigr. ℥vi.
Theriacal. ℥ii.
Pœon. comp. ℥i.
Margarit. ℈i.
Sacch. Albiſſ. ſ. q. M. f. Julapium.

℞ Sperm. cæti ʒiii.
Solve cum vitello ovi in Aq. Lactis Alexiter. Ceraſor. nigr. ana ℥iii.
Tinct. Croci in Vino ℥i.
Sacch. Albiſſ. ſ. q. M.

Sumat cochlear. iii. ſubinde.

℞ Sp. Corn. Cerv. per ſe ʒiii.

Capiat gutt. xxv, vel xxx bis vel ter in die in hauſtu potus communis.

iterum invisurus essem, non vero quatenus medicus. Hæc frustra dicta sunt, quod & attendebam, perspexi enim optime quod ante adventum meum mane, decretum fuisse inter ægrum, pharmacopœium, &c. uti consilio novi medici, non meo. Sed meum hoc modo liberavi animum.

Quid expectare fas est a methodo jam proposita? Venæ-sectio, sine dubio, dolores si qui restant, & symptomata omnia mitigabit; sed ad morbum quid faciet? Sane turbabit concoctionem jam inceptam, & expulsionem materiæ morbosæ, motum novum fluidis circumeuntibus imprimendo; hoc ex notis circulationis legibus fieri necesse est; hoc tota firmatur experientia: sed de hac re satis in hujus initio. Vesicatoria & dolore & inflammatione, quibus semper stipata sunt, paroxysmum febrilem jam fere desinentem, diutius excurrere cogent; & periculum magnum est, ne materies morbi antea multum mota, tam insigni stimulo addito, in cerebrum introeat, vel aliam nobilem & vitalem partem. Reliqua præscripta ut calidiora sunt hæc omnia promovebunt. Eventus expectationem haud fefellit, post venæ-sectionem, æger se quodammodo levatum sensit, febris tamen manebat. Nocte sequente morbus sibi permissus, quieturus fuisset probabiliter, & revera noctem habuit

æger

æger ſat placidam, niſi quod frequenti mictu vexatus fuit; unum tamen erat mali ominis, cerebrum jam gravatum videbatur, & ſenſus non adeo expediti, unde forte oriebantur fallaces malorum induciæ. Poſtero die menſis viceſimo tertio redii non medicus, ſed amicus amicum viſurus, quando quæ modo enarravi didici. Febris tenebat ſed non valde vehemens; ſtranguria tamen tunc temporis vexabat, & cerebrum maxime affectum videbatur, quietus enim & quaſi ſomnolentus jacebat æger; urina ſaturata & rubra fuit. Rogavi adſtantes quid jam ſentiebat medicus cui ſanitas ægri commiſſa fuerat; dixerunt medicum hodie pronunciaſſe eum jam extra periculi aleam poſitum eſſe, omnia quippe leviora quam heri fuerant perceperat. Anſam itaque arripuit, medicamenta ſua laudandi, & omnia bona promittebat. In eiſdem * pergere juſſit; & quaſi ſatis jam non innovatum fuiſſet, in hoc febricitante corpore * enema injici curavit. Monui adſtantes me certum eſſe ex genio morbi, noctem ſequentem maxime moleſtam futuram, ſpemque ſanitatis peſſime eſſe ſundatam. Uti dictum res evenit, nocte illa maxime

* Repetatur Bolus ſexta quaque hora cum Julap.
Pergat in uſu Emulſ. cum G. Arabic.

* ℞ Decoct. communis pro Clyſterib. ℥x. Terebinth. Venet. in vitell. ovi ſolut. ʒvi. Syr. Viol. Mel. Mercur. ana ℥ii. Sal. gemm. ʒiii. M. f. Enema quam primum injiciendum.
Pergat in uſu guttarum.

maxime febricitabat æger; omnia mala ſymptomata vehementiſſima erant, adeo ut mortem omni momento attendebant adſtantes. Hæc mihi narrabantur, nam poſtea ægrum non vidi. Ille medicus ſummo mane vocabatur, veſicatoria plura, * & plura calidiora ut videtis præſcripſit. Exanthemata jam erumpebant externa, quæ vulgo ultimam hujuſmodi tragœdiæ ſcænam claudunt, corpore aduſto quaſi, calore morbi regimine calidiore immani reddito. Æger quatenus audivi ſenſuum motuumque expers jacebat: Cum notaveram tamen tempus jam præteriiſſe, quo, alternis diebus, ſemper ab initio intendebatur febris, omnibus quibuſcum ſermonem de hac re habui, prædixi ægrum non

* Applicentur Veſicatoria Brachiis internis.
Applicetur Emp. Cephalic. cum triplici Euphorb. & Galban. ana p. e. totis pedibus.
℞ Confect. Raleigh. ℈i.
Pulv. e. chel. cancr. comp. ℈ſs.
Caſtor. ruſſ. gran. v.
Syr. Croci ſ. q. M. f.
Bolus ſexta quaque hora ſumendus ſuperbibendo Julapii perlati cochlear. iv.
Pergat in uſu guttarum.
℞ Amygd. dul. excort. N° xxiv.
Sem. papav. alb. ʒſs.
f. Emulſio in aq. lactis alexiter. ℔ii. in colatura ſolve G. Arabici ℥ii.
Tum adde,
Aq. Cinamom. ten. ℥ii.
Pœoniæ com. ℥i.
Syr. Althææ ℥iſs.
M. Bibat hauſtum frequenter.

non moriturum ante Diem Lunæ ſequentem, (tunc enim agebatur Dies Saturni) quando nova exacerbatio expectanda eſſet, tunc vero probabiliter eum ad plures migraturum. Res ſic evenit, mortuus enim eſt, circa horam nonam matutinam die menſis viceſimo ſexto, morbi vero undecimo. Nihil de præſcriptis per duos ultimos dies novi, niſi quod Veſicatoria adhuc plura apponebantur; & medicum tunc pronunciaſſe ægrum fuiſſe perditum antequam ſibi commiſſus fuerat, ob neglectam boni medendi methodum.

Sic periit in ætatis flore, vir ob virtutes quas poſſidebat, quam amabilis, pietate vera erga Deum & morum probitate inſignis.

Quædam ſunt quæ antequam finem faciam, ut attente mecum perpendere velint medicos oro; & mihi reſpondeant ſequentibus.

Primo, Eſtne exercitatio artis medicæ res difficilior, quam ut uno momento, ediſcere poſſit medicus, omnia quæ noſſe debet circa morbum, antequam ad præſcribendum accedat, ſcrutatus pauciſſima ab ægro, nihil ex adſtantibus, vel ab eis qui ante ejus adventum morbum tractaverunt? Tali modo fama forte captanda eſt apud idiotas, qui laudabunt

laudabant forte hominem, qui facile & nullo fere negotio tam multa intelligere valet. Nemo vero unquam, vel ipſa limina Æſculapii ædis adiit, qui non omnia ſic practicantis, vana & damnoſa pronunciabit. Itane igitur ludendum eſt cum hominis vita? Itane decet quemquem medici nomine inſignitum agere hiſtrionem?

Secundo, An credunt medici, methodum aliquam univerſalem medendi, omni febri aptari, ita ut omnibus indiſcriminatim exhibenda ſunt ſtimulantia, ſanguis mittendus, & veſicatoria applicanda? Revera quiſquis vel unquam evolvit ſcripta *Divini ſenis*, aut *Galeni* mentem intellexit, vel nuperrima conſuluit *Sydenhami*, longe contrarium pronunciabit.

Tertio, An credibile eſt Pharmacopœum, qui corporis interiora accurata indagine nunquam contemplatus eſt; cui ne vel nota ſunt monumenta antiquæ & veræ medicinæ, an credibile eſt, inquam, illum recte de morbis judicare poſſe? Quando itaque medicus quicunque in hujuſmodi hominis ſententiam omnino cadit, ſpreto alterius medici conſilio, quid ſentiendum eſt de tali medico? Hocne facit, bono & honeſto animo, an turpi quadam ratione ductus? judi-

 cent

cent alii, hic mihi ſilentium impero. Unum tamen notandum eſt, hoc modo Pharmacopœum in loco medici poni, & medicum illi ſolummodo famulari; quando neceſſe eſt, vel ea quæ vult alter, præſcribere, vel ægrum in alius manus tradere, qui obſequioſus magis erit. Dolendum eſt medicos flexiles adeo, & obtemperantes, in tali caſu tam facile reperiri. Aliud eſt quoque obſervatu dignum. Ægrotantes ipſi & illorum amici, durationis morbi vulgo impatientes, rogitant medicum, ut talia & talia præſcribat, quæ forte maxime ſunt inidonea, & exhibita, naturam maxime turbabunt: ſed ſi mos obtinebit inter medicos, quod, ſi hæc non facta ſint, prius vocatum negligentiæ alius accedens accuſabit, quia iſta omiſſa fuerant; & damna orta a peccato proprio poſtea commiſſo, illi attribuet; quis adeo conſtans & propoſiti tenax inter nos erit, qui in poſterum vulgari methodo non aſſentiat metu famæ? Et ſi quid minus recte in iſta obtinet methodo, dum hoc modo neceſſe eſt illam ſequi, dum ſtrenue adeo errores defenduntur; an non ſapientes omnes, credent nos conjuraſſe contra hominum vitas? Itane excoli debet artium omnium pulcherrima!

Ut totam rem ad concluſionem deducam, certe non adeo ægre de medicinam facientibus cenſeo, ut putem aliquem inter illos, volentem aliquid damni ægro ſuo laturum, ſed dum res perfunctorie nimis aguntur, ſæpiſſime ad idem redeunt. Caſum huncce funeſtum protuli, orans omnes ut quæ ſcripſi ante oculos habeant, dum in poſterum in febre intermittente, præſertim autumnali, de miſſione ſanguinis cogitant; vel dum corpori, ſanguinolento, juvenili, febricitanti, in animo habent vel calidiora ingerere, vel veſicantia apponere; ex juvantibus & lædentibus diſcimus: hæc facta ſunt, eventus fuit peſſimus.

Novi bene quantis me expono periculis, dum hæc publici juris facio; novi quot & quales in me excandeſcentes habebo homines; horum omnium, quando veritas pro me pugnat, nihil facio. Boni probique eſt viri, quæ dictitat conſcientia propria ſequi; hanc pro vitæ regula mihi impoſui; ſpero & aliquid emolumenti, hominibus ex hac ipſa hiſtoria futurum; hanc debui veritati, medicæ arti, civibus, amico mortuo, mihi ipſi. Dilacerent famam meam qui volunt; garriant inania medicaſtri; mihi incommoda omnis generis machinent; hæc

omnia

omnia temno. Paucis contentus vivere didici, & pauca quæ mihi forte ſuppeditata erunt, dum nihil contra bonos mores moliar, & mente fruar quieta, divitiis, pravis artibus acquiſitis, multum præfero.

F I N I S.



ERRATA.

P. 4. l. 26. *fuiſſet*, lege *fuerat*.
P. 7. l. 5. *ni* lege *ne*. ut P. 8. l. 1.
P. 19. l. 28. ante *nihil* lege *ille*.
P. 20. l. 14. *faci* lege *feci*.
P. 21. l. 4. *fuiſſe*, lege *fuiſſet*.